

y Auguf. con-
tra Adimant.
c. 17. lib. 22.
contra Euft.
c. 79. & lib. 4.
1. de ferm.
Domini in
monte c. 20. n.
65.

Authorem Thomam Manichæum assignan-
tem. Ille profectò nullum aliud opinionis
sux habuisse potuit fundamentum, quàm
quòd eo Opere familiaris uterentur Ma-
nichæi, quemadmodum S. Augustinus,
alique post ipsum plures observant (y).

Hæc summa prodigiorum, quæ in Libro
Infantæ Salvatoris leguntur. *Invenimus
in Libro Josephi Pontificis, alio nomine Cai-
pha, Jesum locutum esse, & quidem cum in
cunis jaceret* (idem pariter & in Alco-
rano sapius legas). Cùm Joseph & Ma-
ria Bethleem accederent, significavit mulier
sancta conjugii suo partus sui horam insta-
re; quare cum ad Urbem pervenire non
possent, ibique in speluncam divertere, ubi
setum suum illa edidit. Eo temporis interval-
lo quæsiturus obstetricem aberat Josephus,
qui unâ cum inventa foemina vix spelun-
cæ limen attingeret, insueto fulgore locum
irradiatum, natumque puerum in præsepio
jacentem, pannisque obvolutum admiratus
est. Tetigit infantem obstetric; nec mo-
ra, præsentissimum illud lepræ, qua te-
nebatur, remedium experta. Apparue-
runt per visum pastoribus in medio subito
coruscantis lucis Angeli, quemadmodum
& in S. Luca relatum est. Circumcisi in
spelunca Infantis præputium ab obstri-
ce solerti curâ servatum est, repositum-
que in alabastrino vase, pretiosis unguen-
tis referto. Porro vas illud deinde emens
Maria peccatrix, Jesu Christi pedes inunxit.

Quartâ à nato puero die, Angelorum sa-
tellitio stipatus, oblatum fuit in Templo,
in ulnis Simonis receptus, Annâ interim.
Prophetisâ gratias agente Deo quàm ma-
ximas. Venerunt Magi, juxta vaticinium
Zoroastri, quos Maria panniculo Infan-
tis preciosissimi muneris loco donavit; re-
dieruntque deinde in regionem suam, An-
gelo in formam syderis reducente, quem
ducem antea itineris habuerant.

Fascia illa à Magis Mariæ dono acce-
pta, in ignem projecta illæsa reducta est.
Decreverat Herodes infantes omnes Be-
thleemiticos trucidare; qua de re admoni-
tus per somnium Joseph, atque in Ægy-
ptum secedere jussus, cùm Alexandriam ve-
nisset, corruit Idolum (Serapidis), in-
genti terræ concussione regio universa
turbata est, obsidentes filium Sacerdotis
Dæmones ad contactum panniculorum Je-
su fugati. Joseph & Maria Paganorum me-
tu ex Urbe se proripientes, cum divertif-
sent in desertum, speluncam Latronum sub-
ierunt. Ne quid gravius ab illis paterentur
fecit subitus quidam fragor, cujus ter-
rore in fugam se dare coacti sunt. Obsessa
à malis spiritibus foemina sanitati resti-
tuta est; foemina quædam, singulis noctibus
Dæmonis in formam anguis sævitie vexata,
liberata est; lepræ incommodum nul-
lum ultra sensit alia itidem foemina, quæ
aquis Jesu Christi lotionem sanctificatis cor-
pus suum lavit; quo itidem remedio con-
valuit puer quidam leprosus.

Ne conjugium suum consummaret, male-
ficium aliquod hominem quendam prohibe-
bat; exsufflata sunt statim omnia. Juve-
nis quidam in mulum transformatus erat,

statim ad pristinam figuram. Cùm Titus
& Dumnacus, ambo latrones, liberos abire
permisissent Joseph & Mariam, ambos unâ
secum in crucem levandos Jesus Christus
prædixit. Venerant Matarama ad fontem,
ubi post lotam Infantis tunicam à Matre,
in fonte balsamum virefcens apparuit. (eo
loci alia quædam prodigia facta narrat So-
zomenus l. 5. c. 21.) Manserunt triennio in
Ægypto, ubi pluribus prodigiis, nullibi de-
scriptis, Jesus Christus inclaruit. Tandem
monitu Angeli Josephus redire Nazareth
jussus, primò Bethleem contendit, ubi &
puerum gravi morbo affectum sanitati, &
desanctum alterum aqua Jesu Christi lotio-
ne sanctificata vitæ restituit.

Unius conjugis uxores duæ filium quæ-
que suum morbo affectum dolebant, qua-
rum altera ad Mariam confugiens, panni-
culis Jesu acceptis, valetudinem contulit
filio. Emula filius decessit, quod simul-
tati in alteram augendæ causa fuit. Eò pro-
cessum est, ut mortui filii mater vivum al-
terius in candentem furnum immitteret;
sed nihil inde incommodi in puerum. Post
aliquot dies criminosa illa mulier in pu-
teum decidens, interiit. Mulier altera duo-
rum filiorum mater alterum extinctum do-
lebat, alterum mox extinguendum; sed
postremi huius valetudo statim restituta est,
cum in lectulo pueri Christi jacuit; porro
idem est puer iste, qui deinde Bartholo-
mæus in Evangelio. Leprosam foeminam
mundavit aqua, qua Jesus lavit, sicut &
alteram eodem morbo affligam; Dæmo-
nem tandem puellam quandam dæmonis
assumptâ formâ voraturum expulit Jesus.

Judas filius mulieris cujusdam Dæmone
agitabatur (Judas est Iscariotes); hic Je-
su latus momordit & salva omnia (idem
est latus in passione lanceâ transforsum).
Fabricabat semel Jesus per ludum è luto
animalia unâ cum aliis pueris; sed fabrica-
ta à Jesu vitâ statim donabantur, ut nihil
illis deesset, non motus, non cibi capien-
di facultas (eiusdem prodigii meminit Al-
coranus Surat 3. & 5. & Toldor Jesu). Ac-
cidit, ut versans semel in officina tinctoris,
pannos, quos ibi fortè offendit, simul om-
nes in cacabum tinctorum injiceret, tum
eductos peculiari singulos ad voluntatem
domini colore imbutos exhibuit. Discur-
rebat Joseph unâ cum filio suo Jesu per
Urbis ades, carpentariam sive lignariam
exercens; quòd si fortè aliquod minis quàm
pro voto brevius sive prolixius occurreret,
Jesus ad mensuram reddebat. Ita Regis
Jersalem solum ampliavit, solum, in-
quam, pretiosissimis lignis, jam inde ab
etate Salomonis servatis, biennali opere
à Josepho fabricatum.

Ludentium puerorum turbæ sese immi-
suerat Jesus, in hædos pueros illos
transformans, tum & ad priora restituens.
Pupugerat puerum quandam viperæ, & Je-
sus adductuo puero ante bellæ fora-
men, illam accivit, jubens fugere quan-
tocidius vulnus; ex quo factum ut anguis ne-
cicaretur, tum & puer sanitati restitutus,
inter Discipulos Liberatoris sui futurum se
tandem ab ipso eodemque intellexerit; ipssi-
mus

simus est autem Simon Zelotes. Misit Jo-
sephus Jacobum filium suum unâ cum Jesu
ligna in nemore quæsituros; factum est au-
tem, ut viperæ Jacobum morderet, qui ta-
men Jesu Christi operâ convaluit. Cum
fortè puer quidam cum Jesu versaretur, è
tecto adium lapsus in præceps interiit; ac-
cusatus est de parricidio Jesus; sed ille ex-
tincto puero loquendi facultatem, restituens
egregiè se coram omnibus purgavit. Mis-
sus afferendis aquis, lagenam casu fregit,
nec tamen inde aliquid ex aquis effluxit,
quas in pallio tulit ad Matrem.

Die quadam Sabbati Jesus luteum quen-
dam fontem fabricavit; luteis item passer-
culis in ejus margine constitutis. Actum
violati Sabbati reus Anano desertur;
accurrit ille, oculatusque testis non sine
admiratione avolantes aves spectavit; fon-
tem verò cùm destrueret niteretur Anani
filius, evanuit aqua; quo pariter emblema-
te designari futurum, ut ejus vita evanesce-
ret. Jesus non frustra pronunciauit; illico
enim arefcens occubuit: quo eodem fato
interemptus est puer, Jesum impellens, ut
caderet, cadens enim puer ille protinus
expiravit. Ludimagister quidam Jeroso-
lymæ inter Discipulos suos habere Jesum
cupiebat, quem ille altis adèd questionibus
tentavit, ut quem Discipulum habe-
re volebat, hunc sibi magistrum sentiret.
Tandem solus alphabetum recitavit, heren-
te magistro præ stupore; cum autem ipse
magister verberaturus puerum manus ex-
tenderet, aruit illico manus, tum & in-
tercluso spiritu vir ille occubuit.

Duodennis Jesus ad Urbem sanctam veni-
ens, inter medios Doctores sese constituens,
plura viros interrogabat & respondebat ite-
dem plura, non de Lege tantum, sed in
Philosophia etiam, Astronomia, omni-
que scientiarum genere, ex quo in admi-
rationem sui rapuit universos. Rediit in-
de Nazareth cum parentibus suis, ad trige-
simum usque ætatis annum commoraturus;
Atque ab hoc die miracula, arcana, & sæ-
creta sua occultare cepit. En brevis conspe-
ctus Evangelii Infantæ Arabicè à Siki-
o editi.

È Græco quodam fragmento, à D. Co-
telerio vulgato, constat pauld alium fuisse
in Græco Codice prodigiorum ordinem,
& narrationem. Primum ibi prodigium oc-
currit de 12. passerculis luteis, quos Jesus
ad vitam vocavit. Legitur etiam ibidem
prodigium de aquâ fontanâ ad puriores la-
tices restituta, de sanitate, & motu red-
dito filio Anani, quem prius membrorum
stupore perculerat, quòd fontanas aquas
suas effudisset; ne tamen unquam prodigi-
ii memoria intercideret, ex artibus unum
arentem reliquit. Accidit ut puer quidam
inambulans per viam Jesum retro post
terga teneret, cui minitans non ultra iter
suum prosequatur ipse Jesus denuncia-
vit. Nec mora, puer examinatus intercudit;
parentes verò ipsius querelas eâ de re suas
ad Joseph deferentes, lumen orbitate à
Jesu percussis sunt. Sublatos eâ de re cla-
mores intelligens Joseph, Jesu filii sui aures
violente distraxit; quare Jesus in patrem ira-
Dissert. Calmet Tom. II.

scens, Satis fit tibi, ait, has gentes quæ-
re nec invenire; non planè egisti sapien-
ter; succurrat tibi me filium tuum esse,
& quietum relinque. Secundùm hæc legi-
tur historia ludimagistri & fullonis. Ex
his satis, quantum arbitror, intelligimus,
Græcum Evangelium plus etiam quàm Ara-
bicum, cujus nos epitomen dedimus, im-
pudentiâ & fabellis scaterere.

10. Evangelium Nicodemi, Opus est apud
Veteres incognitum, cujus nullum apparet
apud Græcos Authores vestigium. Memi-
nit illius, sed tamquam Operis alterius re-
latione comperti, *Synaxarion* Græcorum, Li-
ber recentissimus, cujus Author nunquam
facile Evangelium illud viderat. Laudan-
tur sæpè apud veteres Acta Pilati (z),
quæ Evangelii huius Authori veluti Ope-
ris schema exhibuerunt; occurrunt enim
in Evangelio quæcumque in vetustis Actis
referebantur, sed fabellis plurimis vitata
sunt. Ætate Pauli Orosii (a), & S. Gre-
gorii Turonensis (b) altum erat de Evan-
gelio Nicodemi silentium; laudantur ta-
men ab illis Acta Pilati.

D Fabricius persuasum habet (c) pro-
cufum esse Opus, quale nostrâ ætate super-
est, ab Anglis, receptâ semel apud illos
opinionem de Nicodemo primo regionis suæ
Apostolo. Id sanè constat, Evangelium,
quale hodie superest, recentiore esse fa-
bellam, quàm quæ veteribus Patribus Acta
Pilati laudantibus innotuerit. Latinum hu-
jus Evangelii pedestre est maximè, & bar-
barum; Græcè nunquam scriptum est; eam-
que præferret eloquii rationem, quæ non-
nisi post plura à Christo sæcula innotuit.

Vetera Pilati Acta Opus fuisse credimus
deductum ex Epistola ejusdem Præsidis ad
Tiberium, qua de rebus Jesu Christi cer-
tiorum Principem faciebat; sed Nicodemi
Evangelium prolixior est lucubratiō, mo-
rosa, barbara, fabellis referta, Authoris
fraude Nicodemi Judæi nomine inscripta.
Nihil meliori fide Hebraicis literis pri-
mùm traditam fuisse vulgatum est.

Porro genuina Pilati epistola piâ quadam
sed præposterâ Christiani alicujus fraude
deformata in Librum satis prolixum inscri-
ptumque, *Acta Pilati*, transiit. His Actis
lapsu temporis intercidentibus, Latinum
aliud eorum loco procufum est Opus, in-
scriptum: *Evangelium Nicodemi*.

Quidquid tandem sit, legitur in eo Evan-
gelio, Annam, Caipham, Summam, Da-
tam, Gamalielam, Judam, Levim, Nepht-
talim, Alexandrum, Cyrum diem dixisse
Jesu Christo coram Pilato; Pilatum verò
diu multumque reluctantem, quin senten-
tiam in illum diceret, importunitate ta-
men, & minis accusatorum victum, tan-
dem eorum manibus Crucis supplicio in-
terimendum permisit. Porro interroga-
tiones Pilati, accusationes Judæorum,
quæque pro se dixit Jesus Christus fusè
satis, & prolixè referuntur. Paruit Nico-
demus, defendendi Jesu partes in se susci-
piens, unâ cum Paralítico illo, qui ad Pro-
baticam sanitati restitutus est, cum cæco
à nativitate, qui oculorum facultatem ejus
beneficio receperat, ac tandem cum foe-
mina

z Justin. Mar-
tyr. Apol. 1. p.
76. & 84. Ter-
tull. Apologet.
c. 21. Euseb.
Chron. lib. 2.
ad ann. 2051.
& Histor. lib.
2. c. 2. Epi-
phan. hæres.
50. n. 1. Chry-
sost. hom. 7. in
Pascb.
a Paul. Oros.
lib. 7. Histor.
c. 4.
b Gregor. Tu-
ron. lib. 1. Hi-
stor. Franc. c.
21.
c Fabric. de
Apocryph. N.
T. pag. 215.

mina sanguinis profluvio integro 12. annorum spatio laborante, cujus morbi praesentissimum remedium solo tactu fimbriae Jesu Christi experta est. Huic foeminae Veronicae nomen tribuitur. Frequens pariter testium turba pro Jesu stans ibidem inducitur, prodigiorum, quae ipsi explorato cogoverant, in ejus favorem numerum & magnitudinem ponderantes. Frustra tamen haec; Judex enim dicta in illum sententia ad Crucem inter duos fures Dimam, & Gestam damnavit.

Ad Calvarium itaque deductus, Cruci suffigitur, statuto ad dexteram pari supplicio affectum Dimam, ad sinistram Gestam. Longinus Christi latus hastam transfudit; Dimas respicit. Inferendi sepulchro cadaveris Jesu curam in se suscepit Joseph ab Arimathia; quare invidia in se Optimatum Judaeorum concitata, carceri traditus fuit; unde intempesta noctis silentio non sine ingenti prodigio liberatur; namque operam quatuor Angelorum quatuor aedificii parietibus in altum sublatis, ut abiret, captivo liberum spatium factum est; tum aedificium in pristinum statum restitutum. Milites excubias ante sepulchrum agentes, Resurrectionem Jesu Hebraeis narrarunt, sed eorum deinde auro corrupti falsos eam de re sermones sparserunt in vulgus. Tres viri Scribis renunciarunt, vidisse se Jesum in Monte Olivarum sermonem cum Discipulis miscerentem; sed illis affirmantibus credere recusarunt. Joseph ab Arimathia narravit Annam, & Caipham, plures ex senioribus una cum Jesu ad vitam rediisse, quos inter duos fratres longaevis Simeonis, qui in ulnas suas puerum Jesum exceperat; narravit pariter duos ipsos Simeonis fratres in Arimathia commorari. Acciti illi Jerosolymam, plura venditarunt de adventu Jesu Christi ad Inferos, deque ipsius una cum aliis pluribus Resurrectione; referebant totidem verbis colloquium Sathanae Principis mortis cum Lucifero Principe Inferni, qui coram se statuendum Jesum Christum, quemadmodum & ceteros omnes defunctos, contendebat. Sed Jesus apertis Inferni foribus, secum justos omnes adduxit, tetro tantum in carcere malis spiritibus una cum reproborum manibus relictis.

Ascendentibus ergo in Caelum viris justis Henoch, & Elias occurrerunt, sociique accedentes inter eundem narrabant, quae se novissima Mundi die contra Antichristum agenda manerent. Supervenit tandem & probus Lator crucem suam portans, & ipse pariter cum toto caeto in Paradisum introductus est. Haec duorum fratrum Simeonis, Charini nempe & Lenthii relatione Jerosolymis comperta sunt; & nequid eorum interiret, historiam hanc omnem literis mandarunt; raptimque translata in Transjordanam inventi sunt.

Horum omnium certior factus Pilatus, ad Templum se conferens, ostendi sibi sacros Libros a Sacerdotibus jussit, invitoque licet, & reluctantes fateri coegit Jesum Christum ipsum esse Messiam in eorum Scripturis praenunciatum. Clauditur Evange-

lium illud hac temporis adscriptione. *In nomine Sanctae Trinitatis explicum gesta, per Salvatorem Jesum Christum, qua invenit Theodosius Magnus Imperator in Jerusalem in pratorio Pontii Pilati, in Codicibus publicis. Facta in anno decimonono Imperatoris Tiberii Caesaris Romanorum, & Herodis filii Herodis Regis Galilaeae, anno decimosimo principatus ejus, VIII. Calendas Aprilis, quod est XXIII. die mensis Martii, Consultoria Revelationis in anno CCII. Olympiadis, sub Principatu Judaeorum Josephi, & Caipha; quanta post crucem & passionem Domini historiatus est Nicodemus literis Hebraicis.*

Extant gemina Latinae epistola Pilati ad Tiberium de obitu Jesu Christi, utraque tamen recentissima & supposititia. Lambecius Graecae legerat; ab illis referendis in praesentia parcimus. Adeat, si quis vult, Libros Apocryphos N. T. a Fabricio vulgatos.

Scitum est, referente Eusebio, Paganos sub Maximiano Imperatore Acta quaedam Pilati blasphemis in Jesum Christum referentissima longe lateque vulgasse, mandatis onerantes Ludimagistros, ut illa pueris edocenda traderent in Scholis. Opus illud penitus interdidit, ejusque commentum ex falsa temporis adscriptione prodit Eusebius; consignabantur enim quarto Tiberii Consulatui, nempe Imperii ipsius septimo, cum Pilatus non nisi Imperii illius duodecimo in Provinciam Judaeam venisset (d).

11. Evangelium aeternum recens est viri Religiosi ex ordine Mendicantium saeculi 13. commentum. Porro Author sententiam Alexandri IV. ad ignem damnatus est, quamvis clam supplicium illud subierit, ne in Fratres crearetur invidia (d). Nomen Evangelii aeterni ex illo Apocalypsis 14. 6. derivatum est, in quo Angelus Evangelium hoc aeternum per totam late terram omnesque gentes evulgat. Porro Author, qui opus saeculo 13. supposuit, praedicebat futurum, ut Evangelium Jesu Christi penes Ecclesias receptum tandem vel aboleretur, vel saltem abrogaretur; quemadmodum Legis Mosaicae praecipua caeremonialia & judicialia locum dare Evangelio iusta sunt. Porro de hoc Evangelio fusiis in Prolegomenis super Apocalypsim.

12. Evangelium S. Andreae, ex uno ferme decreto Gelasii, quo censura inuritur, notum est. De Actis S. Andreae, opere nec incognito nec obscuro, alibi agemus.

13. Evangelium S. Bartholomaei ab eodem Gelasio damnatur; extat ejus mentio apud S. Hieronymum Proleg. Comment. in Matt. & Bedam Proem. in Luc. Facile tamen idem est Opus cum Evangelio Hebraico S. Matthaei, quod, referente Eusebio Hist. Eccl. lib. 5. cap. 10. aliique nonnullis post ipsum (f), delatum scimus apud Indos ab eodem Apostolo: inventumque ibidem a Pantano Alexandriam relatum est. Pseudo Dionysius Areopagita [g] sententiam hanc S. Bartholomaei nomine refert, Copiosam esse Theologiam & minimam, atque Evangelium tum amplum & magnum, tum

d Euseb. Hist. Eccl. l. 1. c. 9. & 11.

e Matt. Paris. ad 1257.

f Nicephor. lib. 4. c. 32. Hieron. cap. 46. g Dionys. de Mystica Theolog. c. 1.

tum rursus concisum; quam ex Evangelio S. Bartholomaei deducam aliqui suspicantur (b); sunt qui ex ejus Epistolis mauerint (i); alii ex traditione a Fidelibus religiosè servata (k).

14. Pseudo-Evangelium Apellis notum est apud S. Hieronymum Proem. Comment. in Matt. & Bedam Prolog. Comment. in Luc. Novum ab Haeretico proculsum Evangelium vix credimus, sed facile recepto apud Haereticos exemplo genuina Evangelia corrupta, quod illi exprobrat Origenes (l); & S. Epiphanius (*) haec illius verba refert, quae indolem viri satis demonstrant: *Esote prohi argentarii, utere omnibus, ex Scriptura quavis utilia seligens.* Pravum Magistri exemplum Marcio ejus Discipulus deinde imitatus, ex Evangelii quaedam pro arbitrio adiecit retraxitque.

15. Evangelium Basilidis, Opus apud Veteres celebre (m), cujus nihil etate nostra superest. Eo titulo nihil aliud designari autumasse videtur D. Fabricius, quam 24. ab eo in Evangelia scriptos Libros, de quibus Eusebius. Extant ejus Scripti fragmenta quaedam in Spicilegio D. Grabe (n). Porro Basilides doctrinam suam hausisse se iactabat ab Glauca interprete S. Petri (o). Origenes & S. Hieronymus non obscure designant Evangelium secundum Basilidem, qui verborum ambages illas ceterorum Haeticorum negligens, Opus suum non religioso quodam Apostolorum nomine obtrusit, sed de ipso suo nomine appellans inscripsit: *Evangelium secundum Basilidem.*

16. Evangelium Cerinthi unum esse credit S. Epiphanius Haer. 51. ex illis, quae in Operis sui vestibulo scripta jam circumferri S. Lucas cap. 1. r. testatur. Idem S. Epiphanius innuere interdum videtur (p), Cerinthum Evangelio S. Matthaei usum; & Haer. 51. n. 3. tradit, Alogos eidem Haeretico Evangelium S. Joannis tribuisse.

17. Evangelium Ebionitarum, ipsum erat S. Matthaei Opus, quod Haeretici pro arbitrio recipiebant interpolabantque. Exordium ducebat ab illis verbis (q): *Factum est in diebus Herodis Regis Judaeae, ut veniret Joannes baptizans baptismo poenitentiae in Jordane fluvio, quem ferebant ex genere Aaronis Sacerdotis, filius Zachariae & Elizabeth; & egrediebantur ad illum omnes. Legebatur in eo Jesus ad Joannis Baptismum venisse, & ex aquis ascendente illo patuisse Coelum; continuo vero S. Spiritum vidisse descendentem columbae specie & intrantem in sese. Et vox reddita de Caelo dicebat: Tu es Filius meus dilectus, in te mihi complacui. Et iterum: Ego hodie genui te. Statimque eo in loco lux ingens afflavit; qua conspecta Joannes sic cum alloquitur: Tu quis es, Domine? Rursumque lapsa vox de Caelo. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Ad haec Joannes ad ejus pedes accidens, Quae, inquit, Domine, tu me ipse baptizata. At ille prohibebat eum, dicens: Sine; ita enim deceo nos implere omnia. Ex his, quantum arbitrator, satis intelligimus, Ebionitas Evangelium S. Matthaei fedè corruptisse, quod*

h Titing. pag. 124. Append. de haer. arch. Dall. l. 1. c. 27. de scriptis Dionys. apud Fabric. de Apoc. N. T. i Corder. in Not. ad Dionys. k Maxim. & Pachym. Vide Combefis ad Nicet. pag. 496. l Origen. Epist. ad Ambros. in Apolog. Rufini pro Origen. * Haer. 44. n. 2. m Origen. & Ambros. Proem. in Luc. Hieron. Prefat. in Matt. Origen. lib. 26. in Matt. 23. 34. 35. Euseb. lib. 4. & 7. Hist. Eccl. n Vide Grab. Spicileg. PP. part. 2. pag. 39. o Clemens Alexand. l. 7. Strom. p Epiph. haer. ref. 30. c. 14.

q Apud Epiph. haer. ref. 30. cap. 13.

patrocinium ex illo dogmatis sui adversus Divinitatem Jesu Christi comparant.

Alibi verò ita loquentem Jesum inducebant Ebionitae (r): *Ego ad abroganda sacrificia veni; & nisi sacrificare desieritis, Dei in vos ira non cessabit.* Ita pariter Jesus Christus ad Apostolos in novissima caena locutus inducebatur: *Desiderio desideravi hoc Pascha carnale (sive carnem) manducare vobiscum; pro eo quod S. Lucas habet tantum (s): Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Haec duo loca adversus Nazaraeos, servandas legales caeremonias contententes, proculsa videntur.

Narrat S. Epiphanius, Haeticos illos, ut simplicioribus imponerent (t), nomina duodecim Apostolorum admittere, & quosdam eorum nomine supposuisse Libros, uti S. Jacobi. Innuit facile Protevangelium, de quo in superioribus egimus.

18. Evangelium Encratitarum à quatuor Canonicis Evangelii non discrepat, sed ex quatuor unum Tatianus compegit, quod ab illo Evangelium Tatiani sive Encratitarum (u), vel secundum Hebraeos nomen obtinuit. Eo Codice usos non Encratitas tantum, sed & Catholicos Provinciarum Syriae & Ciliciae, Theodoretus (u) est author.

19. Evangelium Eva familiare apud Gnoeticos (y). Rara quaedam de illo superant; referebat e.g. *Vidi arborem duodecim fructus quotannis ferentem, & dixit mihi: hoc est lignum vitae; quae de fluxu menstruo foeminarum Haeretici interpretabantur.* Aenigmaticum aliquid in eodem Opere legebatur (z). *In arduo monte consisteram, cum ecce video procerum hominem, & mulitum alterum. Inde vocem tonitruum instar exaudio. Propius igitur ad audiendum accedo, cum me in hunc modum est allocutus: Ego idem sum actu, idem atque ego, & ubicumque tu es, illic ego sum, ac per omnia sum dispersus. Et undecimque volueris, me colligis, me verò colligendo temetipsum colligis.* Leges S. Epiphanius, qui haeticarum fabellarum salacitatem exponit; nos hic apertius iniquitatis mysterium proferre exhorrescimus.

20. Evangelium Gnoeticorum, non unum erat & singulare opus; sed cum genus esset Haeticorum ex pluribus haesum sedis constans, & inter varios haeticos divisum, ita plura ejusdem farinae scripta sub uno hoc generali nomine Evangelii Gnoeticorum conferuntur. Usurpatur igitur ea inscriptio de Evangelio Infantia, Nativitatis Mariae, de libro Interrogationum Mariae, non habent Evangelium; hoc enim quod secundum Lucam decurrantur, gloriantur se habere Evangelium, &c. Vide & Tertull. l. 4. c. 3. con. Marc. & Epiph. haer. 42.

21. Evangelium Marcionis ipsum est Sancti Lucae Evangelium, ab eodem Haeretico interpolatum corruptumque (a); cujus interpolationis exempla plura fraude Marcionitarum inducunt apud Tertullianum & Sanctum Epiphanium exhibentur. Scriptum autem Evangelium illud autumabant haer.

t Ibid. n. 16.

s Luc. 22. 15.

t Epiph. haer. ref. Ebionit. n. 23.

u Epiph. haer. 47. n. 1.

x Theodoret. Haeretic. fabul. l. 1. y Epiph. haer. 26. n. 2.

z Ibid. n. 3.

a Iren. l. 3. c. 12. H. qui à Marcione sunt, non habent Evangelium; hoc enim quod secundum Lucam decurrantur, gloriantur se habere Evangelium, &c. Vide & Tertull. l. 4. c. 3. con. Marc. & Epiph. haer. 42.